



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Anima laudat Deum atque B. Virginis Mariae praerogativas enumerat & admiratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

duce, non fatigaris: ipsa propi-
 tia, peruenis: & sic in temetipso
 experiris, quod merito dictum
 sit: *Et nomen virginis MARIA.* Ha-
 ctenus sanctus Bernardus. Cu-
 ius tu consilium amplectere, o-
 culos crebrò ad hanc stellam e-
 rige. Ave illi dic, & pio affectu
 hymnum illum, quem olim
 quidam in eadem necessitate
 constitutus, cecinit, decãta. Dic
 ergo:

Aue Maris stella
 DEI Mater alma
 Atque semper virgo
 Foelix coeli porta.

M E D I T A T I O.

*Anima laudat DEVM, atque beatif-
 sime virginis Mariæ prerogativas
 enumerat & admiratur.*

DA vs & benedictio ti-
 bi sit, ô Pater luminũ
 & Deus totius conso-
 latio.

lationis, qui preces humilis ancillæ tuæ non reiecisti, quandoquidem ei nauigationis suæ ducem, non qualemcunque stellâ, non vnum aut plures Angelos, sed Angelorum Reginam, splendidissimam maris huius mundi stellam Beatam virginem MARIAM, attribuisti. Laus & benedictio sit iterum tibi, ô summe & optime DEVS: & tibi, ô speciosa & rutilans maris stella, Stella, inquam, non earum vna quæ firmamento infixæ, statis temporibus oriuntur & occidunt; nec illarû quæ licet circum mundi polos assiduè circumgantur, nunquam tamen sub horizonte nostro merguntur, aut ab aspectibus nostris eripiuntur: sed stella ex Iacob orta, & in cælo empyreo iuxta solem iustitiæ IESVM Christum constituta: nunquam disparēs, nec vllarum

S. Bern. ser.

2. super

Missus est.

tur: sed stella ex Iacob orta, & in cælo empyreo iuxta solem iustitiæ IESVM Christum constituta: nunquam disparēs, nec vll-

larum

larum nubium in hoc aere eleuatarum, quãtælibet etiam fuerint obscuritatis interiectu nostris obtutibus eripi valens.

Tu es maris stella, non modò corporum sanitatem, sed etiam animarum salutem promouens. Corporum sanitatem effectus quotidiani demonstrant & multis hæctenus annis demonstrarunt, quemadmodum tabule in templis tuo nomini consecratis, Lauretano videlicet, Mõtis ferrati, alijsque innumeris appensæ, testificantur. Animarum verò salutem illi qui te in hoc mundo singulari cultu & obseruantia venerantur: & qui tuo ductu ad cœlestia regna tutissimum salutis portum appulerunt, norunt, & confitentur. Sed quid mirum tanta te præditam esse potestate, cum
Dei

3. Reg. 2.

Dei mater sis: venti & mare obediunt filio tuo, & tibi matris eius cur pari ratione non obtemperent? Salomon cum regalem thronū David patris sui obtinisset, fecit collocari aliū thronum ad dexteram suam Bethsabeæ matri: præfigurans videlicet filium tuum IESUM Christum verum Salomonem, tibi etiam sedem iuxta se positurum & Reginam cœli terræ ac maris declaraturum esse. Et certè decebat eum, qui parentes præcipuo honore coli præcepit, vt matrem honoraret, & talem matrem, quæ vti cæteræ ferè solent, contenta non fuisti eum concepisse, atque in lucem edidisse, sed etiam vberibus tuis virgineis illum nutriuisti, propriis manibus inuoluisti, ac ducasti: vlnis tulisti, gremio confouisti, & in omnibus quæ tene-

tene-

M Y S T I C A. 21

tenera illius ætas exigebat, sollicitè ministrasti.

Profectò singularis est hæc tua, ô Fœmina, prærogatiua, quod sis DEI mater: in quo tamen hoc est admiratione dignissimum, quod sis mater & virgo simul. Tu ipsa huius rei admiratione defixa ab Angelo nuncium hunc adferente quæsiuisti, quomodo fieri posset, vt quæ virgo inuiolata existeres, ac viri thorum nescires, mater *LUCAI.* fieres: Qui respondit Spiritum sanctū superuenturum in te, & altissimi virtutem tibi obūbraturam esse: nec apud Deum impossibile futurum omne verbum. Sic profectò necessarium erat diuinam virtutem in hoc opere interuenire, vbi fœcunditas iungenda erat virginitati, & duæ res inter se diuersissimæ copulandæ fuerant. A sæculo enim

*Bern. Serm.
20. super
missus est.*

enim, vt D. Bernardus ait, non est auditum vt aliqua simul mater esset & virgo.

Tuus hic honor est, ô Virgo gloriosa, noster verò fructus: quia ex quo facta es scelix cœli porta: porta inquam, per quam Dei filius in mundum venit: porta per quam nos cœlum introimus. O scelicem portam: *portam orientalem semper clausam, & lucentem, vti Propheta inquit. Aue igitur MARIA maris stella: DEI mater: semper virgo: scelix cœli porta: tibi me totum trado: tibi me consecro, suscipe me ô Regina vniuersi, suscipe me in tuam sanctam protectionem, & per mortalem hanc nauigationem introduc me ad portum salutis & sclicitatis æternæ.*

AUE